




V
B J
C

18

Frid. Zamelii

EPIGRAMM: REGIORUM
Manipulus alter.

Typis BODENHAUSINIS
anno M. DC. XLVI.

VLADISLAO IV.
Poloniæ ac Sveciæ Regi Potentiss.

VLADISLAE, Tibi postquam hæc meditata
fuissent,
Te qvoq; Patronum cura suprema dedit.
Tuta satis sub Te qvos qværat & exigat ultrà
Te præter nullos charta locuta deos?

Ad Musam.



I qvàmvis sero nondum desedimus ævo.
Da gregis Aonii Tu mihi prima liram.
Dum meditor laudes olim redeuntis ab Istro,
Mitteret ut patriis Beßica serta diis,
Læta mihi impulsis surgant exordia chordis.
Qvi Vates animat Spiritus, inde ruit.

De Matrimonio Vladislai Regis Serenisf.

COnveniunt Reges, & eunt in puncta deorum:
Proximaq; est summo Iuno Venusq; Iovi.
Gallia da thalamos, dabit acer Sarmata fruges:
Sic inter Superos dixerat alma Ceres.
Qvi thalami leges qui firmet jura Qviritum,
Hunc nervum ex ipso rure Polonus habet.
VLADISLAE potens, uni Tibi nubere rectè,
Qvo cum pax solida est, Gallia lauta potest.
Cum gente Austriacâ, cum duris pugnat Iberis:
Bella Tibi movit nulla, nisi hæc Veneris.

Omen Regii thalami.

VOlverat à propriis aliena negotia curis
Fortè satur modici Sarmata cultor agri.
Vita viri innocua est. Vidui nova fœdera Regis
Exigit: & gentes, qvas habet Orbis, adit.
Miserat Austriacam sed non transiverat oram:
Venerat huc, Iseræ qvà trahit Ister aqvas.
Qvà surgit, qvà se septeno gurgite findit,
Iamq; mari placidus condere Rhenus amat.
Pergit, & in Nimfis hæret Trinobantidos aulæ.
Hinc ad Liligeri mœnia flectit iter.

Vt percensitis Hispanica templa deabus
Liqverat, egressum mox sopor altus habet:
Nox erat, ac somnum cristatus ruperat ales:
Risit, & à gallo *vir bonus omen init.*

De Nuptiis iisdem.

FVnere ab Austriacæ Franco Rex sangvine natam
Ducit: & ut dignam ducat, ab hac caluit.
Cùm lustrasset Avos, propius nihil; hosq; secundos
Cæsaris à magni viderat esse domo.
Si negat istud Iber, meritis certetur utrinq;:
Qvòd caussam hanc, domui Cæsaris hæret Iber.

Ad Reginam Sereniss.

QVanta viris gravitas venientibus Orbe Polono!
Sceptrigeri digno Nimfa potita thoro.
Iste tipus populi est. Potuit nil mittere majus.
Vir Tuus, & potuit nil retinere minus.

Galliæ cum Poloniâ comparatio.

ADspice tot fluvios, qvos Gallia navibus implens,
Erogat externis Bacchica dona plagis.
Pæne tot enumerat fœcunda Polonia fontes:
Frugibus hi patriis cœtera regna beant.
Contuleris amnes, magna est cognatio terris.
A Bacchi & Cereris ubere major inest.

Ad Reginam Sereniss.

MIssa domo Batavi tetigisti litora Martis:
Victaq; es; ut perhibent, asperiore gelu.
Vlteriora vocant, Boreæq; extrema petentur.
Qvid Regina times? Sceptra Boréa geres.

Te

Te circum famuli discent mitescere Cori,
Auraq; perpetuo tempore mollis erit.

De Eâdem.

G*Allorum caris Aloisia solverat oris,*
Regna maritalis jam subitura poli:
Cùm latuére Noti, latet Eurus carcere: surgunt
Et Zephyri, & consors Orithyia Tuus.
Fallimur? an patriis usa est dea Celtica ventis;
Quàq; juvat, promti res Aqvilonis erat?

Ad Eamdem.

A*Vditas olim vises Aloisia gentes:*
Et populum qvævis se feret esse Tuum.
Sarmata cum Russis veniet, truxq; accula Ponti,
Quiq; Borussorum Teutones æqvor arant.
Moschorum pars lecta aderit, demissaq; vultum
Suspiciet nutûs cœtera turba Tuos.

Ad Sarmatidas.

S*It satis Austriacæ cineres flevisse Renatæ:*
Francigenam supplex Arctos adorat heram.
Discite Sarmatides magni commercia nexûs:
Cum Mari & Oceano fœdera Pontus habet.
Sunt, qvæ Cæsareæ tribuistis jura puellæ,
Integra. Defendet Gallica Nimfa locum.

De Nuptiis Potentiss Polon. Reg. Vladislai.

V*Ere novo nitidi fiunt connubia Cœli:*
Vere novo Tellus nubit amica Iovi.
Vere novo pleni redeunt ad munia Soles:
Vere novo Superûm gratia vestit agros.

Creditis

Creditis hiberno nupturos sidere Reges?
Pone thorum Sponsis, Sarmata, Vere novo.

Ad Reginam Sereniss.

DIva veni: Tecum veniet par illud Amorum,
Qvod cum mortali Numina gente ligat.
Nec solùm meditata Tuas est Cypria tædas;
Nacta moram plures efferet illa faces.
Iustus Lechigenûm thalamus cum sangvine Franco est,
Cùm primi Reges hoc subiêre jugum.

Ad Eamdem.

FRigora decedunt dubios factura nepotes:
Mutat, & exemplum non habet ille rigor.
Solvisti, Regina, Tuo fera tempora vultu:
Horrida nox abiit, sidera verna micant.
Sive Tuum hoc munus, sive est ea cura deorum;
Sub Te componet mitior hora diem.

De Reginâ Ser.

PActa Sarmatici cubile Regis
Diva Seqvanicam domum relinquens
Nocte transierat nemus mariti:
Luna desierat nitere cœlo,
Astra condiderant minora lumen,
Et facem mihi prætulistis extra,
Increpat dea, qvam negetis intra
Rura Sarmatiæ viriq; regnum?
Impulit citò Noctiluca currum
Arbitro Iove, Plejadesq; visæ
Septimâ simul esse cum sorore,
Esse clarius Orionis astrum.

Ad

Ad Eamdem.

ARva Polona vides: nunc Te Regina precamur.
Qvæ columen populi præsidiumq; venis:
Dicere vix ausim, vix ausim dicere: Sed Tu
Qvo Tua regna vides, hoc precor ore legas.
Magna Tabaccobibi sequitur Te turba Lyæi.
Qvidquid in hoc folio, Tu procul esse jube.
Fumorum hinc satis est per rura, per oppida: fumo
Hoc ipso & doctæ Gymnados antra calent.
Cùm dederis nostri coëant ut vulnera civis,
In vetitis ut sit Nicotiana, dabis.

De Liliis.

ITe hiemes: florent Arctois Lilia terris:
Liqvescunt vestræ per juga celsa nives.
Respicit ad solidos immensa Polonia flores,
Si tener à matrum cespite bulbus hiet.

Ad Reginam Ser.

QVid Tibi cum Rhodano est, nostri dea maxima Regni?
Qvid Ligerin recolis? crede fuisse Tuum.
Per consangvineas præceps ruat Axona gentes:
Subq; suo pingvem Rege relinque Mosam.
Disce novos fontes: Tibi naviger Istula servit,
Inq; Borysthenidum sunt Tua Regna vadis.

De Regio Conjugio.

IN Roxolanos ducit hostes Sarmata:
Domuiq; gravis infertur Ottomannicæ:
E Galliâ Regum petuntur conjuges.
Naturam in hoc genus imitatur inclitum.

Sub

Sub Solis ortu, quàq; vigor est illius,
De Marte cogitant, & arma promovent.
Spectant cadentem, quà thori res Regii est.

Ad Reginam Ser.

Cùm canerem primos Augusti Regis amores,
Versibus arrisit dia Renata meis.
His si volvendis similes Aloisia vultûs
Donet, & in famam res ea Vatis eat,
Sorte ferar certâ. Minus hactenus esse putabam,
Quòd placui: plus est, nunc qvoq; si placeo.

Poloniæ Galliæq; Procerum congressus.

Pars hæc est Procerum, qvos culta Polonia misit:
Et pars è Gallis hæc qvotacumq; coit.
Qvanta sit illius majestas, qvanta sit hujus
Imperii, his opibus pars utriusq; docet.
Qvanta sit inde liquet conjuncti utriusq; potestas.
Si non hæc Asiæ sufficit, haut alia est.

Gallia Poloniæ.

INgressura viam lætis Aloisia cœptis
Fisa sibi comites legit ab Orbe suo.
Ampla manus venit majorum obnoxia Regnis:
Gaudet agro, & fixum Gallus habere Larem.
Santo Senoq; vale: jam nil imitabimur in Te.
Doctorum dabitur secta sub arce Deæ.

Tuba nuptialis.

AD sacra Sarmatici descendite Numina Regis:
Tu mare mitte Tuos, Tu qvoq; terra Ioves.

Maxime

Maxime Cæsar ades: Vos cum Rectore Garumnæ
Britones: Hesperiæ Vos utriusq; duces.
Cum Superis accumbe diis vicina diis sors:
A mensâ Domini Thrax, Scytha, Moschus erunt.

Ad Reginam Sereniss.

QVale feras omen vis dicam, Aloisia? lætum est.
Sic Tua sic generis tempora Pallas amet.
Ipsa Tibi Cytheréa Venus favet inter olivas:
Prima meæ plausum gentis Oliva dedit.
Hæc placidæ qvis non putet argumenta qvietis?
Hac Tecum ingredimur conditione viam.

Ad Poëtas Gallicos.

VEnistis? & venisse Vos è Gallicis
Præstantiora credo pectora Vatibus.
Nemone Vestrûm Aserem meum dulcissimum
In Gallicanis vidit usquam partibus?
Nec est ab hoc qvi capite portet literas?
Deos rogabat identidem ille sospites,
Vt jungeretur optimis Bonfiniis,
Et qvos in optimis haberet Gallia.
Deinde nupturientibus pariter schedis
Suis meisq;, carminum Lubentiâ
Ibat maritalem lacessere aërem.
Qvi fortè in istas incidistis paginas,
Et hæc legitis: illius ex parte alterâ
Fiduciarii ipse sum pars altera.
Si qvid bonus Aser meruit intra Gallias,
Favete mihi cœlo sub hoc Borussiæ.

Ad Musicorum turbam.

NOscite qvæ Vobis audire volentibus affert
Fama recens: magnum Rex meus urget opus.
Festa parat thalami: Reges ad sacra vocavit:
Tum chorus his epulis & Iove dignus erit.
Dicitur & Liricen, de qvo mala turba rogatis,
Hic fore, qvi arguti creditur esse Iovis.

Cantores Regii.

REgia non humiles celebrabunt atria Musæ.
Cantabit, silvas qvi trahit atq; feras.
Cùm teneras Chiron leviter demulserit aures,
Accipiet Vatum dux genitorq; chelyn.
Tum carmen citharæ nervis imponet Iopas:
Nec Tu (namq; aderis) Cycne tacere potes.

De Reginâ Sereniss.

VIderat Arctoi Dominam Septentrio mundi,
Estq; ea cæruleo prodita fama mari.
Ipse pater summo prospexit ab æqvore Nereus,
Et sua Nimfarum liquerat antra cohors.
Arsuros thalami credebant protenus ignes,
Cùm Regina citos litore movit equos.
Oceanitis ait vitreæ junctißima Tethyi:
Gaude Nupta potens: hoc procùl agmen erit.
Reginæ virides assurrexêre Napéæ,
Et numero in tamto plurima Nais erat.

De Amore.

QValiter instituit pompam Regina Deorum,
Per medias ierat Regia Nimfa vias.
Aurea viderunt, viderunt gemmea currûs
Stipati cives atq; aliunde viri.

Qvidam erat, hærentem Sponsæ qvi vidit Amorem.
Dicam ego, qui fuerit ille? Poëta fuit.

De Eodem.

PArve puer Veneris, cùm sis sine veste tenerq;,
Qvid struis armatis Regibus insidias?
Cur non abstineat, Vos caussam promite victi,
Et cur non metuat, qvi metuisset apem?

De Eodem.

QVid qverar? aut qvibus est Superis integra potestas,
Qvi frangant animum sæve Cupido Tuum?
Imperium sine lege tenes. Tibi Iupiter ingens
Paruit. Intrasti victor inermis aqvas.
Rexisti Plutonis eqvos per florida magnæ
Prata deæ, primus qvæ sata misit agris.
Ad matrem refero. Venus audi justa qverentem.
Qvin, si Tu jubeas, temperat ille puer?
O Venus aut excors, aut nati perdita telis!
Cessisti puero: ne graviora loqvar.

Ad Reginam Ser.

HIc qvi Te rerum Dominam Ludovica vocavit,
Arduus humanâ voce locutus Atlas,
Non ære ex fatuo, nec inerti machina ligno,
Sed qvi cœlum humeris sustinet, ipse fuit.
Debuerat Regina Tibi seu proximus astris,
Seu qvi summa regit Iupiter astra, loqui.

De Eâdem.

SI qva fides famæ est, portas ingressa Gythoni
Hospite Diva domo sederat ante focum.

Quis dubitet, cùm se Venus unà ingesserit & Ver,
Quin fieri hunc ignem jusserit unus Amor?

Votum in natali.

N*Atalem, gens cara, meum genialibus horis,*
Et quæ non turbant tristia fata, colo.
Lux formosa poli est, & non obnunciat Augur:
Ipse ego vigessis sumo meraca cadi.
In mensam libetur honos. Vos Numina cœli,
Accipite in fuso congrua vota mero.
Ad sua Sarmatici veniunt consortia Reges:
Ille vir, à Francis patribus illa genus.
Et bene Lechigenam Regem, & bene Francida Nimfam,
Tum bene nos! *Rectas hic habet ordo preces.*

De Reginâ Sereniss.

Q*Vòd curru Regina vehi dignaris aperto,*
Nataq; tot populis qvilibet ora videt,
Signa Tuæ dici possunt liquidissima mentis.
Altera nocturno Tu tamen igne dabas.
Luce licèt mediâ, vel nocte incedere mâlis,
Omnia sinceræ munia frontis habes.

Ad Eamdem.

F*Lecte Tuas, Regina potens, huc flecte qvadrigas,*
Paulisperq; meâ Drauside siste gradum.
Si felix ac fausta venis, res ipsa cadentes
Erige, & in visis stet medicina malis.
Audieris, fractisq; velis succurrere rebus,
Plùs tanget præsens mitia corda dolor.

De

De Chlöe.

Reginæ placitura novæ mutare parabat
Vestitum nostro carmine nota Chlöe.
Qvem geris, instabam, viridis Tibi semper amictus
Convenit. Argolico diceris herba *sono.*
Mox ea: Nonne suis ornantur floribus herbæ?
Ecce nitet varius picta per arva color.

In Leucippum.

Res *Leucippus amat: dimensos* verba *Poëtas*
Odit, & hoc noxam credit habere genus.
Audet & à nudis instructos dicere verbis:
Qvoq; movent animos, in mera verba *refert.*
Ad Regem nuper facturus verba *tacebat.*
In linguâ solas res *habuisse puto.*

Ad Regem Vladisl. Princ. Opt.

Qvid dices ô Rex cùm mœnia nostra subibis,
Viderit & campos Nupta patentis Habi?
Qværet, ubi tenues spectabit in æqvore lembos.
An Tu piscosum dixeris esse lacum?
Sentiet, & casum afflictæ miserabitur vrbis:
Forsitan & gemitûs, primaq; vota dabit.
Qvid Nuptæ possis Rex alte negare recenti?
Qvid precibus populi penè rogantis opem?
Exigui volitent piscosa per æqvora lintres,
Ardua dum medio tramite pinus eat.

Ad Cives Elbingenses.

Elbingam Gedano properat Rex inclitus armis,
Certus ab Oceano fontis adire deam.
Qvid Tu præstabis ruptis de cassibus, *expers*
Prædarum, qvales sufficit unda maris?

Da

Da qvodcumq; Tuum est. Nec misit ab æqvore Nereus
Omnia, deq; Tuis munera sumsit aqvis.

Ad Eosdem.

D*Iva propè est, Cives, signis manifesta parentum.*
Lucent virgatis agmina juncta sagis.
Cæsa manu prisco ritu geminata coruscant,
Terroremq; suæ fingere gentis avent.
Qvalis, ubi dubio sensisti Roma Qvirino,
Bis palmam Gallos posse referre truces.
Iste habitus veterum de simplicitate loqvutus
Antiquâ Dominam præstat adesse fide.
Hæc manus, hic vultus, totq; ora faventia circùm
Non iracundæ pignora mentis habent.

Ad Regem Clementiss.

Q*Valia sunt animi curarum mole soluti,*
Suscipe Rex facili carmina ducta manu.
Nullus in erecto legitur Tibi pegmate sulcus
Aureus: ignorat sepia nostra Tagum.
Nuper ab officio Tibi se vicina probârunt:
Nunc & ab officio cœtera Vatis ama.

Ad Reginam Sereniss.

A*Dspice, qvæ Nogadi descendis ad ostia, nosq;,*
DIs genita & sceptris addita robur, adis.
Sortiti sumus hoc cum ditescentibus astrum.
Ecce domos: credes heîc habitasse deos.
Per fora mitte oculos: qvæ sunt hæc pascua? dices.
Qvod qveror amissum, Tu dare sola potes.

Drusis

Drusis Nimfa.

DRusis apud Superos pro caro qvesta marito est:
Parva, nec in tuto litora Glaucus habet.
Inde Mycon nassis, hinc retibus urget Iolas.
DI date, sit tuto Drusis alumna lacu.

Ad Reginam Ser.

HOs Elbinga suis fructus Tibi mittit ab hortis,
Diva: qvibus visis noveris urbis agrum.
Sub nivibus gelidam potuerunt vincere brumam.
Ne Tu adeò accessum crede rigere solum.

Ad Eamdem.

QVem Regina damus vario discrimine piscem,
A nostro venit litore, jamq; Tuo.
Sit qvo se Rhodanus miretur & unda Mosellæ.
Prutenas variat copia major aqvas.

Ad Vladisl. Reg.

O Rex, qui justas ades exaudire querellas,
Siste loqvuturo: publica damna loqvar.
Vrbis opes pereunt, nec nos ex asse tuemur
Transmissum à lautis nobile nomen avis.
Qvò mare vicinum, si sunt sine munere ripæ,
Et tamtùm mergis explicat acta sinum.?
Abstinet à nobis, alibi qui viliùs intrat.
A nutu pendet tota medela Tuo.
Est circum regio, qvam si perspexerit hospes,
Pulchra qvidem: at famæ non satis ista suæ.
Tercentum fuerint letæ, Rex optime, Villæ,
Reddere plus nobis unica Pilla potest.

Cereris

Cereris qverimonia.

SEu qvis erat genius (voces his auribus hausi)
Sive sonum edebant rura, vel ipsa seges.
Et velli, & tundi, & torreri, & pondere frangi
Hordea, conqvestum est: & qvid omitto? coqui.
Hinc Zithi latices extructa per opida mistos:
Civibus hoc studio se tolerare datum.
Nunc qvo nata foret, Cererem liqvescere sulco:
In gremio inq; oculis nempe parentis agri.
Et qvo non fundo domitâ de fruge Falernum
Nascitur, & pingves cupa vaporat opes?
Mœnia amant refici miseris dehiscentia rimis:
Rem differt extra mœnia cocta Ceres.

Ad Lectorem.

FVdimus hæc, Lector, famâ serpente per urbes,
Tendere ad Elbingæ Regia corda focos.
Seu cæptæ stet caussa viæ, seu sidera mutent,
Hoc habitu est faciles Drusis operta deos.

Ad Regem Opt. Max.

SVb sceptris ô Alme Tuis sum natus, & ipsâ,
Qvæ Tibi fit supplex, Druside sospes ago.
Injussus scripsi, qvia Te meruisse videbam:
Si Tibi lecta placent, edere plura jube.
Sospes ago, hoc dixi: sed sic ætate fruendum est.
Ad sua jam properat funera noster olor.

De Asere amico, Regios Legatos in Galliam seqvuto.

IN Gallicanis est meus Aser finibus.
DI Te profectum ab ultimis Livonibus

Felici-

Felicitent, probetq; Musa Regibus!
Qvid admoves? qvibus insonas, qvæ vidimus?
Qvibus auribus? Tu si hoc acetum sustines,
Doctus mihi sis visus & venustulus;
Eo amplius Tibi adesse novero, Genium.

De Amore.

PErseqvere, inq; Tuas sævi matertera damas,
Dianæ dixit lumine captus Amor.
Me metuunt homines stantem sine luminis usu:
Inq; ipsos Reges condita tela gero.
Nuper in hunc misi, qvi Lechica Regna gubernat;
Cùm, qvas Tu figis, figeret ille feras.

De Eodem.

EXiguum teneri risêre Cupidinis arcum
Phœbus cum faretris atq; Diana soror.
Adduxit nervum puer improbus, atq; tetendit.
Cynthius hoc vidit, corripuitq; fugam.
Si caussa est, cur fisa loco Dictynna maneret,
Constat non omnem deposuisse metum.

De Eodem.

NVper in infestum surrexerat omnis Amorem
Turba deûm, & tristes est meditata neces.
Fulmine Rex, Libycis dignum censebat arenis
Iuno fremens, Stygiâ Pluto palude premi.
Mergendum Neptunus aqvis, Mars ense necandum,
Morsibus hydrarum dixit Atlante satus.
Oppleri Scythicis voluit Diana pruinis.
In medio jacuit nudus inopsq; puer.

Spirabat tenuem roſeis de naribus ignem.
Et pueri eſt omnis turba miſerta deûm.

De Reginâ Serenisſ. & Liliis.

OMnia primævi miracula cedite mundi:
Noſtra dies rudibus plura reponit avis.
Hoc quoq; majus habet Tyriæ vectore puellæ;
Quòd, quà fecit iter, ſtraverat ille fretum.
Sarmatiæ Præpes geſtantem Lilia Nimfam
Aëra per medium dulce ferebat onus:
Trux Aquilo & gelidi poterant terrere Triones
Te Iovis armigerum cum Ganymede Tuo.
Delata eſt virgo Regem ſortita maritum:
Sarmaticoq; vigent Lilia pacta ſolo.

Ad Eamdem.

ELbingam calidi damnaſti Aloiſia voti:
Diſplicuitq; Tibi nos tenuiſse diu.
Rumor in ambiguas omnem ſpem diſtulit horas:
Adventûsq; fuit lubrica fama Tui.
Si Regina Tui malè feſtinantur honores,
Da veniam: dubiæ culpa ſit illa moræ.
Abſit ut infirmos alleget Patria cives.
Non abit ad casûs res hodierna ſuos.
Tecum lætitiam vultumq; ô Diva fovemus,
Præſtari thalamo quem cupis ipſa Tuo.

In Solem Regium.

SOlem vides & Cynthiam
Venuſta cœli lumina.
Sit clara qvàmvis Cynthia,
A Sole lumen accipit.

Rex

Rex est necesse fulgeat,
Deinde conjux Regia.

In Lunam Regiam.

SVccos facemq́; Cynthia
Rebus ministrat omnibus.
Sed omne donum Cynthiæ
A Solis ipso est lumine.
Cùm providet Rex omnibus,
Regina Regno commoda est.

Ad Augustiss. par Pol. Regum.

QVot veniant populi Vestris in fœdera tædis,
O Rex & Regis pars Ludovica mei,
Si mussant Proceres, vulgaris lingva freqventat.
Nec nostro juncta est Gallia sola mari.
Tu Tecum Danas, Tu Svecas altera gentes,
Et Batavos Marti cognita corda trahis.
Qvamq; dedit pavido robusta Polonia Thraci,
Non exors Celtes navita pacis erit.
Communem ignorant Regum connubia sortem,
Ista, qvibus populi se tueantur, habent.

Viro Illustri Greg. Borasto.

EGimus in dubiis ingrata silentia rebus:
Iamq; mihi lustrum est, nil habuisse Tui.
Almesiæ *tumulum tristesq́; Boraste Cupressos*
Videris, Almesiæ *præco superstes agit.*
Flevimus, & modus est: nec sunt ea funera tamti,
Vt mittam hunc vultum qvi meus antè fuit.
Virginis adventu Reginæ in nomen euntis,
Lechica brumales exuit ora dies.

Et taceam? sed Tu rerum jam certus amici
Assertor caussæ vive valeq; meæ.

De Rege Ser.

VIlla mihi exigua est, fluvialibus adjacet undis:
Estq; meas qui sub limine turbet aquas.
DI nemorum qvibus ille frequens, dI fluminis, in quo
Sæpe natat, nocuæ vim cohibete manûs.
Si, qvibus innitor, tabulas negat esse disertas;
Interpres scripto non abiturus adest.

Bapt. Voconio.

NVmquid inest nobis quo Tu moveâre Voconi,
Parthenopenq; sapit res mea curta Tuam?
Inde puta tractum. Placuit mihi nata Poësis
Illo agro, Vatum quo stetit antè seges.
Teutonas Ausoniam veneror sine fraude seqvutos:
Hoc tamen Ausoniam cum grege malo sequi.

Ad filiorum trigam.

HVc mea gens cari sacris devota parentis:
Te qvoq; non dubiâ spe Federice voco.
Nunc puer, at patriâ si sumseris indole vires,
Grandior à studiis non potes ire meis.
Huc ades: & si Vos rerum properata relinqvunt,
Divaq; progreditur non habitura moras.
Dicite: Tu prior hæc versu GOTOFREDE *rotundo:*
Felices subeat Regia Nupta Lares.
CAROLE, *Tu totidem dic vota seqventia verbis:*
Felices præsta maxima diva Tuos.
Spernere lallantes nescit Regina puellos.
Voce licèt fractâ dic FEDERICE: Fave.

Audiet illa sui gentemq́ precesq́ ZAMELI:
Exaudituros ut reor esse deos.

De Marte & Cerere.

AD festas epulas Cererem cum Marte vocârat
Sarmata Rex: nondum venerat illa dies.
Diversis Superûm nata est discordia votis,
Praecedatne ferox Mars an amica Ceres.
In populum hunc vestrum est meritum par, Iupiter inquit,
Restat qvid deceat: Fœmina cede viro.

Ad Bacchum & Cererem.

REgales onera mensas Tu Bacche Ceresq́:
A Scythicis venit nostra Diana jugis.

De die Nuptiis Regiis præstituto.

NEc in nefastis est dies nec habebitur,
Qvem Sol laborat, vos Themistos asseclæ.
Sed cùm nec atrum nec molestum transigi
Velit imperetq́ gentium tot arbiter,
Qvot urit Aquilo & mistus illi Aparctias,
Et hoc reorum indulgeat suspiriis,
Erit integra hodie comperendinatio.
Sunt feriæ: qvales tabernis Præciæ,
Et horrido Prætor foro denunciant.

Flores ad Regium thalamum missi.

ASpera fugit hiems: successit primula veris:
Præterea violas uda ministrat humus.
Si nondum Paphios Venus intermiscet odores,
Et sertæ & florum svavius uber abest,

Tu

Tu Regum exhilara genialem floscule lectum.
Iam Cytheréa suas afferet ipsa rosas.

Ad Reginam Celsiss.

SVme Tibi niveos Regis nova Nupta jugales.
Tales ille Tuus sæpius egit eqvos.
Talibus ingressus confinia liquerat Hebri,
Cultus hic à Tanai cùm redeuntis erat.
Iste Tibi titulus thalami cum fœdere cessit:
Non aliter solam Te meruisse vehi.

De Sextiâ.

GAllica cùm patrio discederet æqvore pubes,
Damnabat qvamvis Sextia nostra moram.
Totum hoc quod fingas qvinquagenaria misit.
Seu fugit, seu jam non furit ille deus.
Dignior ut sedeat matronas inter honestas,
Nunc gallum accepit Sextia Chironomum.

De Liliis.

DIc mihi Flora Tuis cur Lilia vulserit hortis
Dura manus Scythicis Sithoniisq; viris?
Per maria & terras cur secum transtulit illò,
Qvò gravis incumbit Vrsa rigensq; gelu?
Numquid, ut à matris gremio prohiberet, & algu,
Perderet, immanes his alitura feras?
Desieram vix ista loqui, cùm diva reponit:
Abstulit hos flores armiger ipse Iovis.
Hoc qvondam est vectus raptore per ætheris oras,
Qvi fundit Superis pocula sveta puer.
Qvàcumq; intulerit, glebâ felice recondet
A thalamis horti Lilia sumta mei.

Si pater ille deûm pueri curavit honores,
Cur metuat tristem lactea *planta Iovem?*

Ad Regem Excelsiss.

CRede mihi Rex Celse: nihil Tibi prodere ficti,
Civis & ingenui mens ea Vatis erat,
Cùm Te Pannonias inter cultissima Nimfas
Vreret: è silvis carmina missa dabam,
In silvis non nata meis: nec rivulus ille,
In cujus lusi margine, noster erat.
Te sensisse reor: nam multa coacta legebas.
Iamq; pari, qvidquid legeris, ungve premes.
Culpa subest eadem: silvas & flumina viso:
Estq; locis illis, qvod mea regna putem.
Sunt tamen in solidas hæc omnia non satis auras,
Si non è silvis pluribus una mea est.

Ad Reginam Sereniss. in vulgi rumore.

QVis rumor Regina Tuos dejecit ocellos?
Ille Tuum cor, Rex non malè noster habet.
Ecce hoc ut populi langvescant gaudia vultu,
Frigoraq; & nubes contrahat ipse polus!

De Poëtarum laboribus.

SVfficiunt oculis Naturæ ingentia nostris:
Humanisq; dedit viribus illa modum.
Sera dies posuit subnixos ære colossos.
Qværite de structis molibus, autor abest.
Qvo Regum æternis condantur nomina chartis,
A tumidâ Vates plebe remotus habet.

De

De seipso.

INter Palladias peperit me mater olivas:
Lucinæq; means tinxerat unda pedes.
Nec lauri deerant virides, nec Cypridos horti:
Siccabantq; genas mirtea serta meas.
Ingenium qui Phœbe mihi Pallasq; dedistis,
Hûic inter Paphias semper adeste rosas.

In Copriam.

COpria, si nescis (nuper Te scire negabas)
Qvid præstent studiis munia nostra Tuis.
In studiis sunt vina Tuis taliq; Venusq;:
Nos Regum laudes condimus atq; deûm.
Qvod brutis homines quod præstant integra monstris,
Hoc Vates Regum præstat amor Copriæ.

In æmulum.

Ille ego qvi solâ defendor nominis aurâ,
Ingenio cecini rura ducesq; meo.
Æmulus invidit. Cùm non vestigia posset
Tota sequi, dixit: Rastra solumq; canam.
Hæsit in his etiam. Cecini connubia Regum.
Vt vidit, dixit: sed tamen ista sequar.
Cùm nil proficeret streperâ modulatus avenâ,
Plebejas adiit sordidus ipse domos.
Nec vulgo placuit. Nihil æmule cœtera prosunt,
Si tibi dI genesin non tribuêre meam.
Qvod natura suis est elargita Poëtis;
Nec Maro, nec secti Lingva Maronis habet.
Cùm stultè obtrectes qvas ambis æmule laudes,
Mitti ad majorum rastra solumq; potes.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0019523

